



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia

Androzzi, Fulvio

Coloniae, 1611

De ieiunio Viduarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48641)

exemplum, ut sequamini vestigia eius.

10. Per aduersitates & tribulationes præ-
sētis vitæ liberamur à supplicijs futuris;
& sic cū humilitate ac deuotione suf-
ferre tribulationes, est compendiosa,
immo rectissima & optima via perue-
niendi ad cæleste regnum.

De ieiunio Viduarum.

Quia caro vt dicit Apostolus con-
cupiscit aduersus spiritum, utq; semper ro-
pugnat. Et è contrario: spiritus aduersus
carnem; tamen necessarium est nutri-
re hanc nostram carnem, sicut idem
quoque alio in loco dicit: Necesse est,
vt, qui in hoc mundo vult bene viuere,
ea in abstinendo discretionē vtatur, ne
limites excedat in macerando & affli-
gendo corpus suū nimium, etiamsi nō
sit ad eō negligens, vt sinat crescere spi-
nas carnis ad suffocationē spiritus, sed
scire hanc mediocritatē & discretionē,
summo opere est necessarium nostris vi-
uis, quibus conuenit & expedit sæpè
ieiunare & orare. Verū est, quod de hoc
non possit dari certa regula propter cō-
plexionum diuersitatem, & alias cir-
cumstantias; nihilominus tamen pos-
sunt præscribi aliquot regulæ genera-

Gal. 5.

les, secundum doctrinam Sanctorum,
 & imprimis quoad ieiunia Ecclesie, Vi-
 dua sana & non habens legitimam ex-
 cusationem obligatur ad omnia ieiunia,
 à S. Matre Ecclesia indicta, eaque
 deuotè seruire debet. Et quia Dominus
 Saluator noster dixit Hospiti seu stabu-
 lario. *Quodcumq; supererogaueris, ego tibi
 rediero reddam tibi.* Ultra ieiunia Ec-
 clesie debent adhuc certis diebus i-
 dem obseruare & ad minus vnà saltem
 vice in septimana ieiunare. hoc est fe-
 ria sexta, ob reuerentiam & memoriã
 passionis Domini nostri Saluatoris, &
 si pro sua deuotione vellet adhuc ad-
 iungere aliquem alium diem, vtpotè
 feriam quartam, vel Sabbathum, valde
 bene faceret. dum modò hoc fieret cu-
 micaialis, id est semper cū discretionè.
 Secundò notandū est, quod adhuc ali-
 ud sit ieiuniū, hoc est viuere temperatè
 & ad necessitatem tantum sumere ci-
 bum, in illa quantitate quam natura
 requirit, neque etiam circa hoc certa
 regula dari potest; sed quilibet pro se
 mediante deuota oratione, & illumi-
 natione Spiritus sancti, hoc facile ob-
 seruare & addiscere potest; debet tantò
 in hoc semper perpendere, vt sibi po-
 tius aliquid detrahat, quàm nimium indul-
 geat.

Inc. 10.

geat; Quia natura est paucis cōtēta, atq; simplicibus. Et viduæ exhortādæ sunt ad sobrietatem, & ad parcè viuendum quotidie; Quia hoc etiam si conueniat omnibus hominibus, cuiuscunque sint conditionis, nihilominus tamen specialiter conuenit viduarum statui, quia vidua est in statu continentia, quam & ipsam decet temperanter viuere.

3. Abstinebit à superfluis sensuum suorū oblectationibus. Quia & status & habitus viduarū indicat mortificationē, & quodāmodo perpetuū luctū. Hinc S. Paulus dicit, *Qua in delirijs est, viuens mortua est.* hoc est quoad Deū & gratiā 1. ad Th. 5. morib. 6. 5. eius; unde, omni in loco debet cohibere & auertere oculos suos, ne videant vanitatem, & hoc potissimum in Ecclesia & locis publicis, alioquin & sibi & alijs dabunt occasionē scandali; Hoc enim sciant pro certo, quod facile cognoscatur ex oculis mulieris & pudicitia decus in mente, & grauitas in vita.

4. Curabūt vt aures ieiunēt, ex omnib⁹ pernitiosis, & inutilibus verbis, que audiri nō debent, multo minus dici, cōsiderantes, quod iudiciū Dei adeo strictū & rigidum erit, vt etiam nobis coram ipsius Tribunali, de omni verbo etiā inutili, sit strictissima reddenda ratio.

Maximè tamen cauere debent, ne detrahentibus, & de proximo suo malè loquentibus aures præbeant, quia non minus peccat, qui auscultat, quàm is qui malè loquitur, immò multò grauiùs. Verùm quia difficile est conuersari cum hominibus qui volubilem seu labilem habent linguã, & ab ijs nõ audire maledicta verba, seu murmurationes; omninò necessarium esset, fugere quantum potest omnem conuersationem; maximè hoc nostro seculo, quo, etiam personæ quæ alioquin apparent spirituales, & bonæ vitæ planè nesciunt loqui aliquid de rebus diuinis seu spiritualibus, vel etiam de vita religiosa, nisi statim immisceant aliquid de defectibus proximi sui. Quotidie igitur oportet firmum facere propositum, non velle vnquam loqui de proximo suo malum, aut aliquid in stri in genere vel in specie; neque de re manifesta vel publica, aut alioquin secreta excepto tali casu, quo ipsa charitas nos constringeret, pro emendatione seu correctione proximi loqui, tali qui & sciret & posset ipsum cū spe boni fructus admonere, vel ad alium bonum finem. Ad refrenandum autem melius & faciliùs nõ tantum linguam, sed & audi-

tum

tum; oportet facere singulis horis & momentis nouum propositum loquendi raro & parum; & vix tantum quantum necessitas ipsa postulat, & par ratio est de auscultando. Nam Salomon

dicit. *In multiloquio non deerit peccatum;*

Prover. 10.

& S. Iacobus idem ait. *Si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir;* & sanè

Iac. 3.

ipsa quotidiana experientia hoc satis docet, nam vbi tantum quis inceperit loqui, verbum trahit verbū, & paulatim

peruenitur à bonis ad verba otiosa, & ab his tandem prorumpitur ad detractionem, ynde graua postea contrahuntur peccata, de quibus homo non cogitat, & ideò parū curat. Et inter peccata venialia nullum est (meo iudicio)

quod hominem magis retrahat, seu retardet ab oratione & deuotione, atque ipsum multiloquium. Propterea dicit

S. Iacob. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refronans linguā suam, sed*

Iac. 1.

seducens cor suum, huius vana est religio.

S. Debet vidua etiam diligenter curare vt ipsius odoratus ieiunet, & omnino caueat vt nullo delectetur odore, qui ad lasciuiam seu libidinem incitandi an-

sam præbeat, huiusmodi autē sunt oleū vnguēra, pulueres, diuersę species aquę distillatę, &c. quibus vtuntur nō loco

medi.

medicinæ, sed potius pro sensuali delectatione, similia enim videntur ostendere, aliquod indicium malæ conscientia, & exiguæ pudicitia in illis personis quæ his vtuntur; Non minus etiã sibi cauere debent, ab omni odore quo imbuere solent vestimẽta sua, vel pannos lineos, Vela, vel alia sua ornamenta, sub pretextu & honesta excusatione conseruandi res supradictas, cum reuera faciant propter solam sensualem delectationem. Nam alioquin constat quod huiusmodi faciliori negotio, alijs quibusdam remedijs conseruari possint. Huiusmodi igitur odorũ genera, omnibus modis non tantũ videt prohibita sint, sed etiam quibusuis personis spiritualibus, quæ potius reddere debent, bonũ odorem, & conscientia rectè, & vitæ sanctæ, idque omni loco vbi vixerint, nam sensualis ille odor, in conspectu sanctorum Angelorum fatet.

6. Debet etiam ieiunare gustus ab omnibus rebus sensualibus, naturæ non necessarijs; Hoc ieiunium est occultum, & quædam abstinentia quæ non videtur; & propterea vltra hoc quod iam dictum est superius de ieiunio, adiungemus & hæc quæ sequuntur,

V I D V I T A T I S .

48

tur, nempe quod homo quotidie possit
ieiunare, à sensualitate gustus, abstinē-
do se ab omnibus rebus, quæ potius sūt
incitamenta ad indulgēdū gulæ, quā
ad satisfaciendum naturæ, & simplici
necessitati, & sæpissimè accidit, vt res
huiusmodi sint homini magis noxiæ,
quā vtilis. Attamen quia manifesta
abstinentia caussat vanam gloriam, ex-
horror vos seriò, vt eam quantum fieri
potest occultetis coram vestris com-
mentalibus, verbi gratia. Quando mā-
ducais cum vestra familia, vel cum a-
lijs personis familiaribus, non debetis
omniò abstinere ab huiusmodi cibis,
sed de singulis gustare aliquid, vel acce-
ptare bonam partem, interim poterit
occultè & dissimulanter relinquere, id,
quod magis delectat, vel in totum, vel
ex parte, idque eum in finem, vt nun-
quam satiatur appetitus, sed potius reti-
neat desiderium illius cibi, quem sic re-
liquit intactum, vt hoc modo refrēnā-
do & mortificādo tale desiderium, habe-
atis meritū apud Deū, & scitote, quod
hæc, licet exigua videatur abstinentia,
magna tamē est, & non exigui meriti,
quando propter amorem Dei, & in me-
moriā passionis Domini nostri Iē-
sū C A R I S T I abstinemus etiam
à cī-

à licitis; & quando non sequeretur aliud bonum, ad minus hanc inde capimus utilitatem, quod quoties in mentis abstinemus ab aliqua re etiam minima, tunc in illo instanti recordamur & cogitamus de Deo, cuius solius amore talem meritorium facimus actum, scilicet abstinentiæ, & ista memoria grata est sæpe diuinæ Maiestati. Etiam aliquando Deus, eodem tempore pro remuneratione, dat homini sic abstinenti, de suis cibis cælestibus talem gustum & suauitatem, quæ sit super quemcumque cibum & gustum corporalem.

7. Ieiunabit quoque vidua à tactu, & non tantum cauebit sibi ab illicitis tactibus, sed etiam à licitis, tam circa se ipsam, quàm circa alias personas. Nã delectatio tactus ut est subita & vehemētissima, ita etiam statim quasi absorbet ipsam rationē; hinc plurimi homines utriusq; sexus, ad lapsū venerūt ex solo manuum tactu, & quamuis videatur res nullius momenti seu considerationis, sibi invicem tangere manus; nihilominus tamen sæpe ad instar alicuius sigilli tenerę ac molli cereę impressi, hoc causat, ut tangendo solum in sua manu relinquat impressionem; Caro enim feminae ad instar est cereę quæ si ab homine

homine tangatur, relinquit aliquod
 suæ impressionis vestigium, quod po-
 stea difficulter dissoluitur, seu ex animo
 euacuatur. Quapropter B. Iordanus,
 qui successit S. Dominico in regimine
 suæ religionis reprehendit quendam
 ex suis fratribus, quia pudicæ cuiusdam
 ac honestæ vitæ mulieris tetigerat ma-
 num, dicendo ipsi, fili, terra bona est &
 aqua bona est, nihil omnisus tamen ex
 commixtione vtriusq; solutum. Sum-
 mopere igitur necessarium est, vt Vi-
 dua valde sit cauta circa hunc sensum.
 Nam cum illa hæctenus huiusmodi de-
 lectationis habuerit experientiam,
 quæ nunc illi in hoc statu omnino est
 prohibita, posset hic ignis, facilius in
 ipsa, quàm in aliqua alia quæ hoc nunquã
 probasset, vel talem non haberet prohi-
 bitionem denuò accendi, & propterea
 tutius est vt lōge absit à tali occasione,
 & diligenter sibi caueat à recorda-
 tione rerum præteritarum. Ad hoc au-
 tem consequendum, operæ precium
 est, vt vidua non tantum exterioribus,
 sed etiam interioribus sensibus, stri-
 ctum & rigidum indicat ieiunium;
 Nam sicuti foris se abalienabit & ab-
 stinebit, ab omnibus eis quæ sensibus
 sunt delectabilia, sic etiam non permit-
 .ct.

40 S P E C V L U M

ret, ut intus subrepat vel subintret aliqua extra vagans phantasia seu imaginatio, immo potius curabit, ut quantum humanum fieri potest, omnes illius cogitationes sint de Deo, & diuinis rebus si tamen aliquando occurrunt cogitationes vanæ & immundæ, absque vlla mora sunt reiiciendæ, & expellendæ, & statim confugiendum est ad orationem, ad meditationem, vel aliquod aliud pium exercitium, ut cor semper sit purum ac mundum in conspectu Dei, quia Iesus vult cor mundum, vult mentem puram. Omnia hæc ieiunia obseruabat vidua illa Anna. & propterea peruenit ad tantam puritatem cordis, ut etiam merito digna fuerit habere spiritum prophetiæ, & annunciare filiis Israël aduentum Domini Saluatoris nostri Iesu Christi.

De Viduarum oratione.

Oratio vitæ spirituali ad deum est necessaria, ut sine illa sperare salutem, sit laborare in vanis; Hinc Saluator noster dicit, quoniam oportet semper orare, & non deficere, hæc est illa, quæ omnes Dei, ac diuinæ gratiæ thesauros aperit. Hæc est illa, quæ facit hominem seruū
tem